Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



sum ad hoc inter oblivionem in memoria mea ut non
obliviscar? Utrumque absurdissimum est. Quid illud tertium?
Quo pacto dicam imaginem oblivionis teneri memoria
mea, non ipsam oblivionem cum eam memini? Quo pac
to et hoc dicam, quandoquidem cum imprimitur rei cuiusque ima
go in memoria, prius necesse est ut assit res ipsa, unde illa
imago possit imprimi? Sic enim Kartaginis memini, sic
omnium locorum quibus interfui, sic facies hominum quas vidi
et ceterorum sensuum nuntios, sic ipsius corporis salutem, sive
dolorem; cum praesto essent ista, cepit ab eis imagines memoria,
quas intuerer praesens et retractarem animo, cum illa et ab
sentia reminiscerer. Si ergo per imaginem suam, non per se ipsam
in memoria tenetur oblivio, ipsa utique aderat, ut eius
imago caperetur. Cum autem adesset, quomodo imaginem suam
in memoria conscribebat, quando id etiam quod iam
notatum invenit praesentia sua delet oblivio? Et tamen
quocumque modo licet sit modus iste incomprehensibilis et
inexplicabilis, etiam ipsam oblivionem meminisse me certus
sum, qua id quod meminerimus obruitur. Magna vis est
memoriae, nescio quid horrendum, deus meus, profunda et in
finita multiplicitas; et hoc animus est, et hoc ipse ego sum.
Quid ergo sum, deus meus? Quae natura sum? Varia, multi
moda vita et inmensa vehementer. Ecce in memoriae
meae campis et antris et cavernis innumerabilibus atque
innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus,
sive per imagines sicut omnium corporum, sive per praesentiam sicut
artium, sive per nescio quas notiones vel notationes sicut
affectionum animi, quas et cum animus non patitur, memo
ria tenet, cum in animo sit quicquid est in memoria.